

1135

I C O D I C E S

1136

*cleros grece latine fors aut hereditas dei &c.* Sub finem inepte praetenditur *Christus* omnes gradus ecclesiasticos pervasisse.

Anterius *Codicem* ambiunt *Folia duo* membranea antiquissimi *Psalterii*, quod integrum multos *Ivones* valeret; scriptum est enim caractere quadrato, nullo paene vocum discrimine. Quod superest, *Psalmum* LXX. a v. 13. LXXI. integrum, et LXXII. usque ad v. 16. exhibet, non nulla a *Vulgata* differentia. Membrana postica manu *Sec. XII.* finem unius, et initium alterius *Homiliae* continet, quod est: *Diuina Scriptura fratres karissimi nos admonet aliquando ad lacrimas aliquando ad gaudium &c.*

CCXCVI. VII. f. 13.

469 Codex membraneus lat. *Sec. XIV.* Folior. 151. 4. probe exaratus, rubricisque distinctus complectitur, siquidem *Indicem* praefixum audias, *Epistolas Petri Blessensis* numero CXXXV. itaque duabus pauciores, quam *Cod. seq.* indicavimus; sed si opus ipsum inspicias, deprehenditur *Epistola I. ad Henricum II. Anglorum Regem*, quae vicem *Praefationis* obit, in censum *Indicis* non venisse. Habet porro *Index* hic illud commodi, quod praeter *Titulos* initia etiam singularum *Epistolarum* exhibeat. Procedunt eae aliquamdiu, prout in *Edit. Guffanvillana Paris. 1667.* f. sed ab *Epistola* 34. ordo diversus est. *Epistola ad Clericum*

*Negotiatorem* in *Edit. XVII.* p. 31. nobis vero *XV. fol. 20.* p. 2. idem hic habet in fine augmentum, quod *Cod. seq.* dedimus. Ita et *Epistola* in *Edit. CXXXIV.* p. 204. nobis autem *LXVIII. fol. 80.* prolixius *Exordium*, ut in *Cod. memorato.* *Epistolarum* nulla inedita est; est tamen, si comparisonem instituas, non nulla lectionis variatio. Ita *Epist. I. ad Henr. II.* *Edita: censuram potius expectantes quam gratiam expetentes*, rectius *Codex: gratiam expectantes potius quam censuram.* *Edit. diffusius et simplicius.* *Cod. diffusius aut simplicius vel inconsultius.* *Epist. II. ad Eund.* *Edita: pueriliter intabescit.* *Codex: intabescitis.* *Edit. Exemplum vobis dedit, ut et vos sequamini.* *Cod. nobis — nos sequamur.* &c. Finem *Codici* imponunt eadem, quae *Cod. seq.* diximus. Tum vero haec leguntur: *Anno domini M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> quinquagesimo septimo proxima feria sexta post Jacobi finitum est hoc opusculum per manus eiusdem quem bene nostis et cet. Explicit hoc totum infunde — Carmen imperfectum, quod, si quid divino, desinebat in potum.*

CCXCVII. VII. f. 14.

Codex chartaceus lat. *Sec. 25<sup>a</sup>* XV. Folior. 266. f. per duas *Columnas* nitide scriptus et rubricis distinctus olimque ad *Monasterium Mellicense O. S. B. in Austria inf.* pertinens hanc praefert notam: *Hic liber inceptus est 2 nonas*

nonas Julij feria secunda post festum gloriose uirginis et martiris margarethe 1460. et complectitur sequentia: I. Petri a loco natali dicti Blesensis, Archidiaconi in Anglia primum Bathoniensis dein Londinensis, fato functi anno 1200. Epistolas CXXXVII. ex CLXXXIII. quas exhibet Petrus de Guffanvilla in edit. Opp. Petri nostri Paris. 1667. f. quasque duabus in cassum Edm. Martenius T. I. Anecd. p. 639. augere voluit, cum hae duae Epistolae jam inter Guffanvillanas sint numero CXLIII. et CXLIV. Codex porro noster plerumque cum impressis consentit. Sunt tamen, quae moneam. Ordo Epistolarum alius est. Epistola ad Clericum negotiatorem in impressis 17<sup>ma</sup>, nobis fol. 17. p. 2. longior est in Cod. his sub finem adiectis: uel saltem bis pretermisiss nostra blanda exhortatio. Quos enim cruciamenta non corrigunt. nonnunquam ab antiquis actibus leuia blandimenta compefcunt. quia et plerosque egros quos fortis pigmentorum potio curare non ualuit. aqua tepens ad salutem pristinam reuocauit. et nonnulla uulnera que curari incisione nequeunt. fomentis olei sanantur. et durus adamas incisionem ferri minime recipit. sed leui birorum sanguine mollescit. et utinam maturius animum tuum nostra mollescat humilis et priuata correctio quam publice correctionis et obiurgationis aspera inuectio. Defunt haec etiam in ipsa editione principe Epistolarum nostrarum char. gotb. rudi, f. l. et a. f. cu-

Denis Codd. mjs. theol. Bibl. Palat.

jus raritatem mirum quantum extollit Hambergerus in Zuverl. Nachr. v. d. vornehmst. Schriftst. P. IV. p. 304. Epistola ad Abbatem recenter electum in impressis 134<sup>ta</sup> prolixiorum habet in Cod. nostro fol. 60. ingressum ad hunc modum: Cum bone memorie abbas philippus nomine tributum mortis exsoluerit testimonio eius prophete. fedus cum morte percussimus omnes. qui in nobis responsum mortis habemus. electus es pater carissime a tuis fratribus in abbatem. Sic namque a diebus antiquis ecclesie. pro patribus nati sunt tibi filij. et iuxta uerbum amos dominus suscitabit de filiis prophetarum ac iuuenibus nazareos. Sic ueteribus amicis euanescentibus noue propagine ad ulteriores et dulciores fructus amicitie coalescunt. De uestra gloria glorior. quia secundum nomen magnorum qui sunt in terra uestra. magnificauit dominus uobiscum misericordiam suam, si tamen &c. ut in impressis. Tres ultimae in Cod. Epistolae inscriptae: Contra Clericos voluptati deditos. Contra Clericos qui consanguineos ditant. Contra curiales. nihil aliud sunt, quam laciniae Cantilenae de Lucta Carnis et Spiritus ex Epistola ad G. de Alneto, quae et in edit. principe et in Guffanvillana est numero 57<sup>ma</sup>. Prima incipit: Qui habet aures audiat. Altera: In nouam fert animus. Tertia: Quod amicus suggerit. Ad calcem minio scriptum: Libri huius compago inscribitur Magistro Blesen. petro Sed exaratur calamo fratris Wolfgan-

gi de Mellico Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo primo Mensis Marcij die quartodecimo. Grates deo immense. De viro hoc *Wolfgango Frischman de Emersdorf in Mart. Kropffii Bibl. Mellic.* p. 358. legas: *Bibliothecam Mellicensem multis elegantissima sua manu descriptis Codicibus, literis subinde aut deauratis, aut miris coloribus variegatis locupletavit.* Id quod longa Codicum ferie, cui tamen noster deest, ibidem subjuncta comprobatur, ut adeo *χαλκέντερος* hic scriptor, qui vitam ultra an. 1474. protulit, merito in laudem Coenobitarum illorum veniat, quorum diligentiae tot venerandae Antiquitatis monumenta debemus. Confer et *Cod. praeced.*

II. fol. 113. p. 2. *Incipit epistola eximij doctoris henrici de basfia ad canonicos Neunburgenses.* Margini ad primam literam adpinxit *Wolfgangus* in forma numismatis *D. Petri* apostoli effigiem, addiditque *περιγραφήν: Ego reliqui rethe. ecce habeo clauem celi et librum vite.* Initium Epistolae: *Ecce nos reliquimus omnia &c.* ut etiam alibi.

III. fol. 124. *Incipit clenodium religiosorum domini Johannis (sequebatur Abbatis, sed minio inductum est) Castellen. ad Canonicos in Vndenstorff.* Initium: *Venerabilibus in christo patribus dominis et fratribus meis, domino decano totique capitulo monasterij sancte marie in vndestdorff. ordinis sancti augustini canonicorum regularium. frater iohannes Castellen.*

*quem scitis — Carissime pater, ad memoriam reuocavi, quemadmodum dudum visitandi gratia veneritis solito ad nostrum monasterium in weybenstefen &c.* Finis: *et hoc a deo patre nostro et domino ihesu christo. Amen. Explicit tractatulus qui dicitur clenodium religiosorum.* Monasticae vitae praecepta continet. Autorem norunt *Trithemius in Scriptt. eccl. n. 669.* et inter *illustr. Benedict. II. 135. Eifengreinius, Possevinus &c.* qui tamen praesentis Opusculi diferte non meminere. Prior *Monachum Castellensis Coenobii* appellat, quod fortassis ibi professionem religiosam ediderit. Ceterum videmus in *Weibenstephanensi* degisse, cumque in serie Abbatum apud *Hundium in Metrop. Salisb. T. III. p. 331.* Abbas *XL. Johannes* dicatur *postulatus*, fieri possit, ut is *Johannes* noster fuerit; neque aetas abludit; *Clenodium* enim suum elaboraverit, antequam anno 1448. ad infulas vocaretur. De originibus Ascetiorum hic memoratorum tradunt *Monumenta Boica.*

IV. fol. 129. *Incipit epistola super propheciam beate virginis bi'tigardis.* Epistola haec est *Gebenonis* Prioris in *Ebribach, Ebirbach, Eberbach* O. Cist. in *Rhinovia* ad *Canonicos Moguntinos Reymundum* et *Reynberum*, ut alibi dictum est. Eam sequuntur *Excerpta ex Hildegardis Visionibus*, et cetera, quae ibi notata sunt. Illud hic addo: in *Bibl. O. Cist. Caroli de Visch* p. 124. *Excerptorem nostrum prave dici Giconem*

*Giconem Priorem in Euersbach.* Subscriptio opusculi est: *Mellici natus* (itaque non in Emersdorf) *bunc scripsit librum frater Wolfgangus. Sed finit annus millesimus quadringentesimus sexagesimus primus. Et complet dies mensis septembris septimus. Deo grates immense.*

V. fol. 170. *Brigittae* s. *Brigittae Suecicae Revelationum Liber VIII.* dictus *Celestis Imperatoris ad Reges.* Praeit Opusculum VIII. Capp. inscriptum minio: *Incipit epistola Solitarij ad Reges.* Solitarius hic teste *Nic. Antonio* in *Bibl. vet. Hisp. L. IX. c. 7. p. 116.* est *Alphonsus Pecha Guadalaxarensis* renunciato, quem per novennium gesserat, episcopatu *Giennensi, Romae* vitam eremiticam amplexus, *Brigittae* a sacris confessionibus et in *Palaeistinam* comes, ejusque *Revelationum* post illius obitum defensor, propalatorque, qui *Romae* an. 1379. diem clausit. Initium porro Opusculi s. *Epistolae* est: *Serenissimi Reges et utinam veri reges &c.* Quae, uti *Revelationes* ipsae, exacte consentiunt cum editione perrara Romana, facta, ut ad calcem habes: *In ædibus diuæ Brigittæ viduæ, per Franciscum Mediolanensem de Ferrarijs, XXI. Augusti, M.D.LVII.* f. Itaque lubens ad subscriptionem transeo, quae hujus modi est: *Explicit liber celestis imperatoris ad reges reuelatus Diuinitus beate Brigide principisse Nericie. De regno Swecie, per antecedentium scriptorem. Anno*

1462. quarta die mensis septembris Deo gratias.

VI. fol. 222. *Incipit epistola Reuerendi domini in christo domini Enee* (Silvii Piccolominei, postea Pii II. Pont. Rom.) *Tergestini episcopi. ad Regem ladislaum.* Opusculum aureum de Puerorum educatione, cujus §. de *Memoriae* exercitio *Nostratibus* hoc aevo impense commendaverim. *Incipit: Si quem virtuti operam dare &c.* *Finit: ut aliarum hujus opusculi partium cupidissimus videre. vale.* estque in promptu cum in editionibus *Epistolarum Aeneae Silvii* Sec. XV. factis, tum inter *Opera omnia Basileae 1571.* in f. impressa, ubi p. 965. ita tamen mendose legitur, ut e *Cod. nostro* plurima restitui possent. Ad calcem *Wolfgangus* noster minio adscripsit: *Notandum quod predicti tractatus rubricae ab eius auctore apposite non fuerunt. sed ab alio quodam ex materialium sententijs excerpte et adiuncte sunt. Grates deo.*

VII. fol. 243. p. 2. *Epistola exhortatoria siue directoria prioris, missa per patrem Johannem sacre theologie doctorem priori in münsee quondam in vniuersitate suo discipulo Anno 1454.* Initium: *Affectum caritatis amoris obsequio iugiter exhibere. Dignissime frater, petisti nuper sermone tibi breuiter explicari &c.* Exponuntur officia *Prioris* in *Coenobio*, sed a quonam *Johanne?* Inter plures a *Mart. Kropfio* in *Bibl. Mellic.* relatos nulli quadrat *Doctoratus* theologicus, nulli *Prioratus* non

1143

C O D I C E S

1144

multo ante an. 1454. susceptus; ait enim Noster se eum, quem nec docta sapientia, nec experientia longa, sed magis noua electio fecit priorem. Concludit: *Vale. et noueris scriptum quia prior esse debet in onere. qui prior constituitur in honore.*

VIII. fol. 245. p. 2. Prologus in opusculum quod dicitur *stillam ligni uite. et flos agri celestis.* Incipit: *Exactionis tue instancia uictus &c.* De titulo: *Hec autem que scribo valde modica dico. quia iuxta sententiam prophetarum omnia quecumque sancti dei homines de celestibus loqui potuerunt. stillam paruulam nominauerunt. Unde et huic opusculo. stillam ligni uite et florem agri celestis nomen dedi.* Incipit illud: *Vincenti dabo edere de ligno uite &c.* et de celestibus gaudiis solide et pie differit. Ultima sunt: *Scriptum est enim. Et populus meus uidebit gloriam domini. Cui est gloria &c.* Non inuenio illud in *Bibl. Mellic.* saepe cit. E clausula miniata: *Explicit per quendam professum Mellicen.* subit coniectare, *Wolfgangum* ipsum autorem esse, nomenque suum modeste suppressere; quomodo enim ille Sodalis sui nomen nescisset?

IX. fol. 250. *Epistola beati Bernardi ad parentes proprios.* Incipit: *Sola causa qua licet parentibus non obedire deus est &c.* Finit: *in alio seculo simul felici et inseparabili societate in eius amore uiuamus. Per infinita secula seculorum. Amen.* Supposititia, quam et stilus prodat, et ipsa

*Bernardi* respuat historia, et editores ejus adcuratissimi ignorarint. Laborem scribendi in hoc terminavit Coenobita noster *Mellicensis* hac nota miniata: *Finit scriptum presens quinta mense febrili Anno christo natoque sexagesimo terno.*

X. fol. 252. sequitur alia, sed aequae concinna manu: *Petri pauli Vergerij Iustinopolitani viri clarissimi Ad uertinum Carrariensem De Ingenuis moribus et liberalibus adulescentie studijs elegans et utile Opusculum, quod jam 1477. Mediolani per Phil. Lavagnam. Brixiae per Jac. Britannicum 1485. et ultima Sec. XV. Decade Venetiis et alibi pluries in 4. prelo subjectum fuit. Initium est: Franciscus senior auus tuus &c. Finis: nil tibi nisi te ipsum uideri defuisse.* Autor, qui *Sigismundum* Imp. in *Hungariam* secutus ibidem circa 1428. diem claudit, Senior adpellatur; *ὀμωρμωρ* enim habuit sequente seculo, qui *Lutheranorum* partibus in *Germania* se adjunxit. Utriusque vitam et scripta recenset *Niceronius* T. XXXVIII. *Mem. des Hom. illust.* p. 57.

CCXCVIII.

362  
Codex membraneus lat. Sec. IX. Folior. nunc 176. f. characterum ductu ad *Scripturam dictam Longobardicam* accedente, rubricisque distinctus priore sui parte *Homilias*, posteriore SS. *Vitas* sive *Passionale* complectitur. Utriusque Partis *Index* prae-